





DE
CLYSTERIBVS
EORVMQVE EFFECTIBVS,

CONSENSV

INCLYTI MEDICORVM ORDINIS

IN REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

SOLEMNI RITV IMPETRANDIS


A. D. XI. AVG. MDCCCLXXI.

R. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

JOANNES MANIKATI SAPHRANI

CIBANIENSIS.



HALAE SAXONVM

STANNO ORPHANOTROPHEL

ΙΠΠΟΚΡΑΤΗΣ ἐν τῷ ἔκτῳ τῶν ἐπιδημιῶν, τμήματι τρίτῳ.

Ἡ κοιλίης νόσος, ἢ τῶν ἄλλων ζύγχυσις· ἢ τῶν ἀγγείων
ἀκαθαρσίη, ἢ ἐγκεφάλου ἀνάλωσις.

ΤΩ
ΥΨΗΛΩΤΑΤΩ ΚΑΙ ΓΑΛΗΝΟΤΑΤΩ ΑΥΘΕΝΤΗ
ΚΥΡΙΩ ΚΥΡΙΩ
ΙΩΑΝΝΗ ΑΛΕΞΑΝΔΡΩ
ΥΨΗΛΑΝΤΗ
ΤΩ ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΣΤΑΤΩ ΗΓΕΜΟΝΙ
ΠΑΣΗΣ ΟΥΓΚΡΟΒΛΑΧΙΑΣ
ΝΑΙ ΜΗΝ

ΚΑΙ ΓΕΝΝΑΙΩ ΤΩΝ ΜΟΤΣΩΝ ΠΡΟΣΤΑΤΗ
ΤΑΣ ΔΕ
ΤΩΝ ΑΠΟ ΤΗΣ ΙΑΤΡΙΚΗΣ ΑΥΤΟΥ ΜΑΘΗΜΑΤΩΝ ΑΠΑΡΧΑΣ
ΤΑΠΕΙΝΟΦΡΩΝΩΣ ΚΑΙ ΜΕΤΑ ΔΟΥΔΙΚΗΣ ΚΑΙ ΕΔΑΦΙΑΙΑΣ ΥΠΟΚΛΙΣΕΩΣ
Α Ν Α Τ Ι Θ Η Σ Ι



ὦν πάλα ἀρα τοῖς ἀνθρώποις νενομισμένων, ΚΡΑΤΙΣΤΕ
ΚΑΙ ΠΑΝΕΥΚΛΕΕΣΤΑΤΕ ΗΓΕΜΟΝ, καὶ τὸ
ἀνατιθέναί τι τῶν κατ' ἐξοχὴν πρέχοντων ἀρεταῖς καὶ ἀξιώμασιν ἄπερ
ἕκαστος φθάσας ἐφιλοπονήσατο συγγραμματα· ἵνα, ἂν μὲν τῶν σπεδαίων
ταῦτα καὶ ἀξίων λόγῃ ἢ, εὐμοιρήσαντα καὶ τῆς παρ' ἐκείνων εὐμενείας,
σπεδαυότερα, ὡς εἰκός, καὶ ἀποδοχῆς μείζονος ἀξία ἀποδῆ καὶ τοῖς ἄλ-
λοις, ἂν δ' ἄλλως τῶν ταπεινότερων καὶ εὐτελῶν, καταυγαθέντα τῶν
ἀπὶ

ἀπὸ τῆ πρὸς ὃν ἀνατίθεται ἀρεταῖς, Φωτὸς ἀξία καὶ ταῦτα κριθῆ, καὶ
αὐτῷ τῷ Φιλοπονήσαντι μὴ πάντῃ ἀχρηστὰ γένεταί. Τέτρω τοίνυν καὶ γὰρ
τῷ ἀρχαίῳ ἔδει σεῖχῶν ἡδὲ, **ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΣΤΑΤΕ ΑΥ-**
ΘΕΝΤΑ, τὴν μικρὰν τήνδε καὶ εὐτελεῖ ἔνδειξεν τῆς ἐμῆς κατὰ τὴν Ἰα-
τρικὴν παιδεύσεως προήχθην ἐξευγκῆν, καὶ τοῖς πανευκλᾶμπροις ποσὶ
ΤΟΥ ΥΜΕΤΕΡΟΥ ΥΨΟΥΣ ταπεινοφρόνως ἅμα καὶ σὺν ἐκ ὀλίγω
δέει παραδῆναι ἀνότας. Οἶδα γὰρ πολλὰς ἔσεσθαι τὰς καταγελασμέ-
νες, καὶ πολλὰς με σὺν τῷ δικαίῳ λόγῳ τῆς θρασυτήτος αἰτιασόμενες,
ὅταν καὶ τῷ μικρῷ με τῷ δε καὶ χαμερπεῖ Φιλοπονήματι τὰς ὄψεις τυχὸν
ἐπαφίεντες, τὸ μέγα καὶ περιδοξὸν ὄνομα **ΤΟΥ ΥΜΕΤΕΡΟΥ ΠΑ-**
ΕΚΛΑΜΠΡΟΥ ΥΨΟΥΣ προτεθεμένον ἰδῶσιν. Ὁ καὶ ἐμοὶ πάντως κα-
τὰ νῦν ἀνακυκλούμενον ἐμποδῶν ἂν τῆ ἐγχειρήματος ἐγένετο, καὶ τῆ σιοπῆ
με ἀπέτρεψε κατακρατῆσαν, εἰμὴ πρὸς **ΤΗΝ ΥΜΕΤΕΡΑΝ ΠΑ-**
ΤΡΙΚΗΝ τῶντι **ΚΑΙ ΑΥΘΕΝΤΙΚΗΝ** πρὸς ἅπαντας ἀπείδον
εὐμένειαν, καὶ τῆς βροντοφάνε περὶ αὐτὴν σάλπιγγος ἔφθιν ἀκηκόας,
πρὸ ἰκανῶ ἡδὲ καὶ ἐνταῦθα ἐνηχησάσης, καὶ πολλοῖς πολλαχῆ διακηρυ-
χθῆναι παραχέσις τὰς ἡρώϊκας καὶ ἀξιαγάσας ὡς ἀληθῶς ἀρετὰς **ΤΟΥ**
ΥΜΕΤΕΡΟΥ ΥΨΟΥΣ, τὸ σοφὸν καὶ θαυμάσιον τῶν νέων ἐν τῷ κοι-
νῷ νομοθεσιῶν, τὴν προσασίαν τῶν μυσῶν, τὰ ὑπὲρ αὐτῶν νεόδμητα καὶ
μεγαλοπρεπῆ μυσεία, τὰς ἐν αὐτοῖς μετ' ἀκριβείας διδάζοντας, ἵνα μᾶλλον
τὰ τῆς παιδείας ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν προαχθῆ, λαμπρότατον ἔσις τῆ ψυ-
χῆ Φῶς, πόρρω δὲ τὰ τῆς δεινῆς ἀμαθείας Φυγαδευθῆ, σιότος ἔσις αὐτῆ
τὸ βαρῦτάτον, καὶ ἄλλα συλλήβδην πολλὰ ἀξία, καὶ πολὺ τὸ ὄφελος
ἐπάγοντα τῷ κοινῷ, ὧν εἰ δ' ἂν τις δέκα μὲν γλώσσας, δέκα δὲ ζώματ' ἔχοι,
τὸ ὀμηρικὸν ἐκείνο, κατ' ἀξίαν τῷ λόγῳ ἐφίκοιτο· πρὸ πάντων δὲ τὸ πα-
τρικὸν τῆς ἀποδοχῆς καὶ μετ' εὐμενείας μεγαλόδωρον πρὸς ἅπαντας ἀπλῶς
τὰς γνησίους τῆς παιδείας τρεφίμετες, ὧν καὶ ὁ ἐν Ἰατροφιλοσόφοις διδάσκα-
λος καὶ ἐμοὶ τῷ γένει προσήκων **ΜΑΝΑΣΣΗΣ ὁ ΗΛΙΑΔΗΣ**, ὃς
καὶ τῶν ἄλλων κατόπιν γενέσθαι ἐδόλλας ἀνεχόμενος, καὶ τοῖς διὰ τύπων
ἐγγωμίαις τοῖς ἅπανταχῆ περιλαλεῖ, καὶ ἐπίτια κατ' ὄφελὸν ἀπαραίτη-
τον τίθεισι τὰ πολλὰ πολλοῖς τε καὶ πολλαχῆ περιβόητα προτερήματα
ΤΟΥ ΚΑΘ ΗΜΑΣ ΗΓΕΜΟΝΟΣ. Τσαύταις τοιγαρῶν καὶ

τοιαύταις ἀρεταῖς πόρρωθεν καὶ γὰρ ἐνηχιθεὶς, ΚΡΑΤΙΣΤΕ ΗΓΕΜΩΝ,
 θαρρήσας τε ταύταις, καὶ πάντα τὸν περὶ ἐμὲ ὄκνον ἀποσεισάμενος, τὰς
 μικρὰς ταύτας καὶ εὐτελεῖς ἀπαρχὰς τῶν ἀπὸ τῆς ἰατρικῆς μαθημάτων
 μετοῖσις ὑμετέροισι πάντεσσι λαμπροῖσι ποτὶν ἑδαφιαίως παρατίθη-
 μι, σημεῖον μὲν πάνυ ἀμυδρόν ἔσας τῆς ἐμῆς κατὰ τὴν ἰατρικὴν εἰδέσεως,
 μέγα δὲ καὶ λαμπρότατον τεκμήριον τῆς δελικῆς με καὶ ἑδαφιαίως ὑπο-
 κλίσεως πρὸς ΤΟ ὙΜΕΤΕΡΟΝ ΘΕΟΔΟΞΑΣΤΟΝ ΤΥΦΟΣ·
 ὡς εἶθε καὶ εὐμενῶς δεχθεῖς, ΑΥΘΕΝΤΑ ΜΟΙ ΓΑΛΗΝΟΤΑΤΕ,
 καὶ εὐμενέσι καὶ ἐπ' αὐτὰς ἐπίδοις ταῖς ὄψεσιν, ἵνα διὰ τῆς πατρῆας καὶ
 αὐθεντικῆς πρὸς ἅπαντας ἀποδοχῆς τὴν ἀνήκεσαν καλλοπὴν καὶ αὐτὰ
 ἀπολαβῆσαι, τοῖς μὲν ἄλλοις λαμπρὰ γένωνται, ἐμοὶ δὲ εἰς χαρὰν εἴσιν
 ἀνεκλάλητον, καὶ μὴν καὶ σκέπην ἰσχυρὰν ὑπὸ ΤΟ ὙΜΕΤΕΡΟΝ ΑΥ-
 ΘΕΝΤΙΚΟΝ ΚΑΙ ΠΕΡΙΣΕΜΝΟΝ κρᾶτος, ὃ καὶ εἴη ὑμῖν πα-
 ρὰ τῆς ἀγαθαρχειῆς προνοίας ἀεραδάντως καὶ ἀσεμφῶς διατηρούμενον μέ-
 χει γήρως βαθέος καὶ πίονος, ἐπὶ κοινῇ μὲν τῇ εὐφροσύνῃ, εὐκλιερίᾳ δὲ
 ἰδιαίτερά τῃ ὑπὸ χεῖρα λαβῆ, οἱ μακαρισεῖοι πάντως τῃ σοφῇ ΗΓΕΜΟ-
 ΝΟΣ, ὃν σφίσι αὐτοῖς ἡ θεία πρόνοια ἔδωκεν ἡσαστο.

ΤΗΣ ὙΜΕΤΕΡΑΣ ΘΕΟΣΕΒΕΣΤΑΤΗΣ
 ΤΥΗΛΟΤΗΤΟΣ

ἐν Χάλκῃ τῆς Σαξωνίας
 9 ψ πα. 1616 λ. α.

Ἰωάννης καὶ πάντων ὑποκλιεστάτος δούλος
 ΙΩΑΝΝΗΣ ΜΑΝΙΚΑΤΗ ΣΑΦΡΑΝΟΥ
 τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης διδάσκαλος

CELISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI
DOMINO DOMINO
JOANNI ALEXANDRO
HYPSELANTA

SERENISSIMO DUCI TOTIUS VALACHIAE,
NEC NON
PATRONO LITTERARUM MUNIFICENTISSIMO

HAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS
HUMILLIMA ET DEVOTISSIMA MENTE

D. D. D.



Jam dudum solemne fuit litteratis, CELSISSIME & GLO-
RIOSISSIME PRINCEPS, ut si quid ii meditationum
conscripterint, in eo studiorum genere, in quo potissimum
versata est eorum opera, Viris dedicent, qui virtutibus inclaruerunt,
& ad summum emerferunt dignitatis fastigium. Nec id immerito faci-
ciunt, cum scripta ejusmodi, si pretium iis aliquod infuerit, splendore
Nomi-

Nominis, quo exornantur, aliis se magis commendent. Quodsi vero ea levioris momenti res, nec Lectorum plausu nimis dignas contineant: ut saltim externo hoc & adscito quodam ornatu emineant, ac in lucem emissa, non omnem prorsus Auctoris operam eluisse videantur. Hanc ego etiam consuetudinem sequi non dubitavi, MUNIFICENTIS-SIME PRINCEPS, & has laborum meorum primitias editurus, TIBI, non sine insigni metu, humillima dedicare mente decrevi. Equidem prævideo, complures fore, qui, levidenti huic libello CELSITUDINIS TUÆ Nomen præpositum conspicati, institutum hoc meum vituperent, meque non injuste temeritatis arguant. Hæc mecum reputans, hæsi & ego, non diffiteor, animo, nec multum absuit, quin hac impeditus cogitatione a scopo penitus discessissem, nisi clementissima animi TUI indoles & paterna in universos benevolentia, ut & virtutum TUARUM fama, quæ ad hæc etiam regiones pervenit & heroicas laude dignissimas CELSITUDINIS TUÆ qualitates palam prædicat, me in spem adduxissent meliorem. Nam ut justissimas utilissimasque leges a TE conditas taceam, nec non multas alias virtutes, quæ saluti Reipublicæ maxime profunt, quasque secundum illud Homeri nec decem linguæ nec ora decem satis celebrare quirent: TUA imprimis factum est cura, ut, Musis in tutelam receptis, omnes cogitationes eo conferres, quo litterarum studia, mortalium unicum & certissimum decus, longe excolerentur diligentissime. Comprobant id sat quidem evidenter egregia illa subsidia, quæ liberalitas TUA ad discutiendas inscitæ tenebras in dies suppeditat & auget. Non dicam de prolixissimo illo affectu & summa munificentia, quibus Viros doctrina & meritis claros ornare, eorumque conatus indefessos, in efformandis hominum mentibus, juvare consuevisti. Ex his cum & Affinis meus MANASSIS ELIADES, *Philosophie & Medicinæ Doctor*, inter publicas omnium bonorum acclamationes ipse unus conticere nollet, reliquis palmam præripere & PRINCIPIS nunc gloriose regnantis eximias & spectatissimas virtutes oratione, nuper typis excusa, celebrare adductus est.

Hac

Hac ego quoque, **CELISSIME PRINCEPS**, singulari
TUA clementia fretus, metu omni abjecto, præsens doctrinæ meæ
specimen ad pedes **TUOS** devotissima mente depono. Quod sat leve
quidem meorum in Medicina profectuum indicium est, at eo eviden-
tius testimonium humillimæ & profundissimæ venerationis, qua **CEL-
SITUDINEM TUAM** prosequor. Hoc ut animo accipias be-
nigno vultuque sereno, **TE CELSISSIME PRINCEPS**, enixis-
sime rogo, quo labor hic meus in se vilis & exiguus, summa **TUA**
clementia dignior, aliis acceptior mihi que ineffabilis lætitiæ causâ eva-
dat, tutelaque fortissima. Servet **TE, CELSISSIME PRIN-
CEPS**, supremus rerum humanarum moderator diu sospitem, ac re-
gimen **TUUM** ad seram usque senectutem faustum firmumque esse
jubeat, in commune gaudium & maximam populi **TUI** lætitiâ, qui
felix censendus est, quod Principi tantis virtutibus conspicuo sub-
sit, quemque divina ipsi donavit providentiâ.

**AMPLISSIMAE
AC SACRAE CELSITUDINIS TUÆ**

Hale Saxonum,
Die XI. Augusti MDCCLXXXI.

demississimus & omnium obsequentissimus
servus

JOANNES MANIKATI SAPHRANI,

Med. Doct.



PRÆFAMEN.



præstantissima, olim tot tenebris involuta Medicinæ-
scientia, inde ab Inventore, ut refertur **ÆSCULA-
PIO** a) ad divi **HIPPOCRATIS** tempus, cujus
nomen etiamnum orbis eruditus veneratur, adeo
hoc nostro ævo dilucidata, aucta & emendata est, ut a tyronibus
quantumvis assiduis, ob defectum experientiæ, quæ princeps est ve-
ritatis magistra, nihil ejusmodi proferri possit in medium, quod
non

a) Vid. elegantiss. **CELSI** Lib. de Medicina L. I. in Præfat. p. m. 1. Lipsi 1766.

non jam ab aliis Clarissimis Viris, aliis verbis, vel alio nomine, forma atque ordine dictum & passim sufficienter explicatum sit. Quapropter laudabile, quod in Academiis obtinet, institutum secuturus, meæ tenuitatis probe conscius, non nova excogitare & proponere adnitar, sed ab aliis laudatissimis Viris quædam de *Clysteribus* consignata in his laborum meorum primitiis colligam, riteque ordinata ita disponam, ut diversæ enematum species, sparsim in plurimis Autorum scriptis occurrentes, in una veluti serie exhibeantur. Igitur haud inique me facturum existimavi, si totam hanc Dissertationem *duplici* distinguerem *Sectione*; quarum *prior* præcipua, quæ *Clysterum* originem, *potionem*, *etymologiam* ac *generalem* eorundem *divisionem* concernunt; *instrumentorum* porro, quibus ii applicari possunt, *discrimen*; denique *cautiones* tempore applicationis observandas complectetur. *Posterior* vero *speciatim* ea, quæ ad *diversam enematum indolem* pertinent, tradet. Atque hæc pro viribus & temporis brevitate explicare suscipiam. Adsit hisce sonatibus *supremum*, illudque benignissimum Numen!



SECTIO PRIOR

DE

CLYSTERIBUS IN GENERE.

§. I.

De Clysterum origine.

Protur diversi generis remedia, quæ longe saluberrima hodie reperiuntur, brutis animalibus debemus, sic & *clysmatum* inventionem inde repetunt FERNELIUS *b*), REGNERUS de GRAAV *c*), aliique Clarissimi Viri. Avis nimirum in Ægypto *Ibis* nuncupata, primo omnium, ut referunt, hujus, in quam plurimis morbis, præstantissimi remedii, enematis puta, usum homines edocuit. Animal enim hoc natura admodum vorax cum sit, quæcunque oblata sine discrimine ingurgitat; hinc obstructa alvo & humorum noxiorum, inertium, aut abundantium copia oneratum se sentiens, naturali Syringa aquam marinam excipit, quam rostro ad eluendas in crassis intestinis contentas impuritates ea injicere solet parte, qua ventris onera reddi maxime salubre est *d*). Unde hominum sagacitas vel in agrorum commoda, simili casu oblato, id convertere didicit. Falluntur autem, qui id auxilii genus novissimæ ætatis inventum esse, sibi persuadent; siquidem præcis jam temporibus ab ASCLEPIADE usurpatum *e*), a nonnullis contemptum *f*), ab aliis vero in quacunque febrium atrociam, & eo anni tempore, quo a purgantibus periculum imminere ipsis visum *g*),

con-

B 2

b) Vid. EJUSDEM unives. Medic. T. II. p. 251. Lugd. Bat. 1645.

c) Legatur EJUS Tract. de part. Viror. genit. Clyst. &c. p. m. 184. Lugd. Bat. 1658.

d) HIPPOCRATIS & GALENI Oper. omn. a CHARTERIO edita T. XIII. L. de Clyst. pag. 103. Lutet. Paris. 1679.

e) CELSUS L. II. c. XII. p. m. 85.

f) ROLEING Medic. consult. L. III. Conf. VI. p. 388. 392.

g) HIPPOCRATES *περί Φαρμάκων* Tom. X. pag. 461. sequenti modo de hac re disserit: *οὐκ ἔν ἐ χειρὶ τοῖς ἰσχυροῖς τῶν πυρῶν Φάρμακα καθάρτηγια προσφέρειν ἀλλ' ἥτινα δέη, ἐπιουλίξεν καὶ ὀσσοῦς ἐν βέλαι ἀνίδονον γὰρ κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, καὶ ἐν τῇ δεξιῇ ἄρα, ἀπὸ κινδύ ἀνατολῆς ἡμέγους πενήκοντα Φυλάσσομαι καὶ μὴ δίδοναι, Φαρμάκων ἀλλὰ κλυμοῖσι χρεῖσθαι: ἔ γὰρ αὐτὸς κίνδυνος.*

commendatum fuit. Testatur quoque LANGIUS *h)* Clysmatum usum non apud *Aegyptios* modo, sed *Græcos & Arabes* in gravissimis morbis fuisse in usu; nec tantum sanitatis conservandæ causa illos singulis mensibus triduo usos fuisse, prout HERODOTUS refert, sed etiam ad debellandos adhibuisse morbos, in quibus alia evacuantium genera vel non sat cito, vel minus tuto adhiberi poterant. Proximum est, ommissa lotionum origine, ut ad varias earum denominationes, definitionem & etymologiam progrediar.

§. II.
De definitione & etymologia Clysterum.

Quod Græcis κλύσις, Latinis autem lavamen sive ablutio dicitur, in genere denotat materiam fluidam in naturale aliquod corporis cavum ope Siphonis injiciendam. In specie vero hoc nomine venit injectio, quæ per anum in intestina infunditur. Derivatur a verbo κλύω, abluo. Vocant & clyisma, lotionem, alvi ductionem *i)*. Nomine etiam alio generaliore ἐνέματος insigniri solet a Græcis, quod injectionem significat; commodeque ejus explicatio ab ἐνέμι, infundo, deduci potest. Liquet adeo clysteris vocem latiore, quo sumunt, ambitu, ad multiplices in varias corporis humani cavitates injectiones extendi posse. Igitur propter cavitatum, quibus clysteres infunduntur, diversitatem, varia iis imposuit antiquitas nomina. Cujusmodi sunt: otenchyta sive clyster oricularius *k)*; metrenchyta sive uterinus; intestinalis, vesicalis *l)* & sic porro. Verum has species, quarum nomina solum adduxisse sufficit, cum instituto nostro parum respondeant, alto præteribo silentio, intestinales solummodo sive stricte dictos clysteres consideraturus.

§. III.

Clysmatum varie species.

Memorabiles sunt diversæ dictorum clysterum species ac denominationes, quarum

h) Lib. I. Epist. LXXX.

i) CELSUS l. m. c.

k) IDEM L. VI. C. VII. pag. 374.

l) PAULUS ÆGINETA in medic. totius Ency-
chirid. C. LIX. pag. 615. Lugd. Bat. 1589.

quarum discrimen tum a materia injicienda *m*), tum ab effectu, quem exerunt, desumitur. Etenim pro differentia injiciendorum corporum, quæ vel induratas feces emolliunt, cohibitasque deducunt; vel crassam lentamque pituitam intestina infarcientem, iisque tenacius adhærentem solvunt, absterguunt secumque rapiunt *n*); vel humorum raptum a partibus nobilioribus ad ignobiliores revocant, vel dolores leniunt; aut inmodicum alvi fluxum, aut sinceras ejusdem excretionis fistunt &c. diversi etiam erunt *clysteres*. Sequentes itaque ex hoc fonte ortæ sunt species, nimirum: *evacuantes; emollientes sive relaxantes; refrigerantes; roborantes; adstringentes; expandentes; anodyni sive sedantes; anthelmintici o; excitantes; nutriendes; & medicamenta ori haud ingerenda vehentes p*). Ut taceam, quæ Veteres perperam singulis corporis humani partibus clysteres, additis nonnullis specificis, appropriari posse autumantes, de *stomachicis, cardiacis, cephalicis* &c. somniarunt. Prius vero quam ad recensitas clysterum species propius considerandas accedam, non abs re fore judico, si instrumentorum, quibus illi applicari solent discrimen; nec non cautelas tempore injectionis observandas, quo clyster citius tardiusve pro circumstantium rerum ratione operetur; erroresque & noxæ in praxi haud raro occurrentes evitentur, paucis exponam.

§. IV.

De diversis instrumentis, quæ clysterum usitatorum applicationi inserviunt.

Instrumenta, quibus enemata applicari consueverunt, *tria* potissimum prostant. *Primum* & forsitan antiquissimum *q*) est illud, quod a HILDANO depi-

B 3

m) CALLISENIUS in insit. Chir. pag. 39. §. 142.

n) Vid. HILDANI Oper. omn. Epist. XXXVIII. pag. 984. ubi exemplum prostat puerperæ cujusdam febre continua & abdominis tumore laborantis, quæ usu clysmatum spatio dierum viginti ad triginta libras pituitæ tenacis vitreæ fere indolis alvo deposuit, ventrisque inde moles in circuitu spithamæ longitudine minor facta est.

o) GALENUS l. c. pag. 1015.

p) CALLISENIUS l. m. c.

q) E. GALENI l. c. p. 1014. tuto concindere possumus, antiquos hoc solum viros fuisse instrumento: præcipit enim Siphonem ambabus manibus comprimendum esse, donec omne expressum fuerit fluidum, quod de vesica solum valet.

depictum & e cannula eburnea, ossica, lignea vel stannea, bene levigata, & vesica ei annexa compositum est ^r). Verum non absque difficultate ac molestia illo in praxi uti possumus. Fluidum enim in vesica contentum, raro tam exacte in anum injici potest, quin ejus aliqua quantitas remaneat; aut aëris aliquam copiam secum vehat; aut fortiori compressione indeque subsequente motu cannulae, partes intestini laedantur; aut vesica, ubi cannulae affigitur, dissolvatur aut rumpatur. Ut alia taceam incommoda, quae tam ministri sub praeparatione & applicatione, quam aegrotantes receptionis tempore sentiunt. Frequenter praeterea ob scybala indurata, flatuque incarceratos, utramque manum aegrotantis ad retinendam cannulam, & majores ministri vires hoc instrumentum exigit; nec tamen optatus semper resultat effectus, prout saepe mihi ipsi videre contigit.

§. V.

Alterum instrumentum chirurgicum, quo moderni utuntur Chirurgi, e Syringa stamea, aenea, & cannula eburnea, ei in apice firmata, constat, & multis dotibus instrumentum modo descriptum omnino superat. Tantas enim operantis non exposcit vires, si exacte fabrefactum sit; nec tam facile praecurrem aërem, saepe in unda flatuum nocivum, secum vehit aut praemittit, de quo paulo post uberius; nec post plenariam emboli compressionem liquoris injicendi quid retinet, quod tamen vitii genus cum vesica inevitabile, per §. antec. Immo pro lubitu ita praeparari, componi, & aptari potest hoc instrumentum, ut aegroti alias viribus pollentes, vel absque alieno auxilio sibi metipsis non sine fructu applicare possint.

§. VI.

Tertium tandem instrumentum a REGNERO DE GRAAV ^s) inventum, descriptum & maxime laudatum, parum a Siphone §. ant. descripto differt. Internoscitur solummodo tenui admodum flexili funiculo, in apice Syringae firmato, unius vel duarum fere ulnarum longo & permeabili, per quod fluidum e

Syrin-

^r) HILDANUS Cent. I. Obs. LXXVIII.

Item HEISTERUS Instit. Chir. P. alter. pag. 117. & Tab. XXXIV. fig. 12.

^s) Ejus Tract. cit. pag. 181. & seqq.

Syringa propulsim, ope cannulae in intestino recto haerente, absque ulla situs aegroti praegressa mutatione, aut partium obscœnarum denudatione, ad tractum intestinorum deducitur. At unicum si exceperis commodum, quod aegroti partes analyticas denudare interdum recusantes, percipiunt, magis vituperio quam laude dignum erit; quandoquidem facillime funiculus obstrui, collabi aut dirumpi potest, nec altius ad intestina ascendere valet fluidum, si obstaculum vel leve offenderit.

§. VII.

Alia vero pariter machina applicationi clysmatum conveniens, nostris temporibus e resina elastica, in aqua & Spiritu vini indissolubili, a Chinesibus inventa, praeparata & ad usus domesticos a multis Celeberrimis Viris laudata est ¹⁾, quae tamen variis adhuc premittitur difficultatibus, quae hic enarrare superfluum nimis foret. Uti interim hac illi praepriis possunt, qui injectionis officium ex diversis causis Chirurgis denegant; vel defectus adest instrumenti §. V. descripti, viresque sufficientes aeger possidet ad clysmatis propulsionem. Dissimulandum vero non est, eodem instrumento tam laborantis ministros, quam ipsos Chirurgos uti posse, si adstantibus, aut aegro ita placuerit, aut praesentium rerum status hoc exegerit.

§. VIII.

Ad clysmata vero ex fumo herbae nicotianae parata varia excogitarunt magni nominis Viri instrumenta, quibus aegrotis suae curae commissis auxilium adferre studuerunt. Primus, qui fumi tabaci ano immittendi mentionem fecit, fuit THOMAS BARTHOLINUS ²⁾ qui binas communes fistulas fumigeras ad hos usus destinavit. Postea vero STISSERUS ³⁾ delineatum nobis tradidit instrumentum, huic operi aptum. Commodiora tandem alia excogitarunt: DEKKERUS

¹⁾ Neueste Wochenschrift. Eine gemein-
nützige Wochenschrift, der vierte Jahrgang, Drit-
tes Stück 191ste Woche. Seite 552. Berlin 1780.

²⁾ Vid. EJVUS histor. anatom. & medic. Cent.
VI. hist. LXVI.

³⁾ De machinis fumidac. cum fig. Hamb.
1685.



RUS *x*), VALENTINUS *y*), UNZERUS *z*), SCHÆFFERUS *a*), HEISTERUS *b*), de HAEN *c*), GAUBIUS *d*), & alii, quæ hic omnia describere prolixum foret. Sufficiet igitur ea solum adduxisse, quæ usitatiores sunt, quæque reliquis aptiora. Instrumentum autem, quod primum descripturus sum, quodque b. m. Consiliarius de MADAI mecum communicavit, compositum est e cylindro tenui, permeabili, flexili, elastico e corio confecto, duas ulnas fere æquante, quo funiculus eo facilius flecti ac dirigi possit. Una funiculi hujus extremitas capsulæ cuidam satis amplæ, æneæ, uno orificio in utraque basi præditæ, inferiori ejus foramini affixa est. Superiori foramini frustulum aliquod osseum perforatum, Germanis *Mundstück* dictum, inductum est, quod a Chirurgus aut ministro alio quocumque sub fumi propulsione ore tenendum est. Extus obtacta est prædicta pixis circulo ligneo, doli formam referente, ut manus ardentis intus herbarum calorem haud facile sentiat. Intus craticula adest æneæ, quæ scintillarum & cinerum in funiculum propulsionem aliquomodo impedit. Altera funiculi extremitas receptaculo quodam osseo vel eburneo munita est, cui perpendiculariter cannula ano immittenda, angulum rectum formans, insidet.

§. IX.

Iisdem usibus destinata duo adhuc alia STEGMANNUS *e*) excogitavit instrumenta. *Primum* e Siphone æneo duplici pro recipiendo & expellendo aëre, simplici embolo, receptaculo herbarum comburendarum, spongiæ, & funiculo flexili, perforato, inter ultimam Syringam & cannulam constat (*f*). Hoc modo confectum organon emboli reciproca agitatione herbarum ardentis fumum augere, & ad intestina per tubum intermedium deferre facile potest aër.

§. X.

x) Exercit. pract. pag. 705.

y) De polychrestis exoticis pag. 73.

z) In seiner Wochenschrift Theil XII Seit 70.

a) Der Gebrauch und Nutzen der Toback: rauchelstiere nebst einer dazu bequemen Maschine. Regensb. 1757.

b) Instit. chirurg. Part. alt. Tab. XXXIV. fig. 13.

e) Vid. SCHÆFFERI Tr. c. edit. alt.

d) Adversariorum varii argum. c. IV. pag. 45.

e) Kurze Beschreibung einer Saug- und Druckpumpe, nebst einer Anzeige eines Rauchtobackelstier: Instruments. Cassel 1774.

f) Vid. STEGMANNI Tr. m. c. pag. 16 seqq. nec. non fig. 16.

§. X.

Alterum instrumentum duplex constituit folliis cylindricis corrugatus, quorum primus compressionis motu externe aërem inhaurit, & in inferiorem transmittit follem. Inde motu compressivo successivo, per subhaerentem tubulum in eam defertur partem, in qua herbae cum prunis adsunt. Unde per spongiam, funiculum permeabilem, & cannulam ano inhaerentem ad intestina defertur tandem fumus g). Haec sunt, quae de hoc instrumentorum genere dicere animus erat. Plura si quis de his instrumentis legere voluerit, adeat STISSERI, SCHAEFFERI, HEISTERI, GAUBII &c. scripta §. VIII & IX. citata. Accedam nunc ad universales quasdam cautiones, applicationis tempore, observandas exsequendasque.

§. XI.

De situ, quo, injectionis tempore, aëri collocandi sunt.

Situs, quo aeger sub clysmatis injectione collocandus & servandus est, *varius* esse potest. Nonnullis etenim Practicis decubitus in dextrum placet latus h), aliis in sinistrum, aliis in dorsum i). Illi, qui aegros in dextrum latus conjici jubent, asserunt, clysterem hac ratione facilius celeriusque intestina crassa subire, sursumque excurrentem eadem proluere k); sed aegro in sinistrum latus deposito, totam viscerum molem adeo intestini coli principium comprimere, ut clyster per curvaturas coli transmitti nequeat, nec ille diutius retineri possit l). Hi vero, qui contrariam tenentur sententiam, reponunt, intestinorum crasserum tractum praepremis rectum, non tam facile a reliquis ita comprimi posse, quin clyster libere vias perambulet, suoque rite fungatur officio. Praeterea opinantur, ob recti versus latus sinistrum figuram sigmoideam, enema facilius sub ventriculo excurrere posse, quod in alio latere evenire negant. Clyster enim injectus ob

inte-

g) IDEM pag. 17-20. & fig. 12.

h) HILDANUS Cent. I. Obs. LXXVIII. & LXXIX.

i) de GRAAV pag. 200-202.

k) FERNELIUS T. I. L. de Med. rat. pag. 48.

l) COMMENTARIJ de reb. in Scient. nat. & med. gestis Vol. VI. P. II. pag. 345.



intestini recti situm jam descriptum, latus prius adire debet finistrum, antequam reliquam coli partem sua inundet mole. Alii demum nimis scrupulose ab alterutro lateris decubitu compressionem intestinorum indeque oriunda mala metuentes, primum eligunt præferuntque corporis situm.

§. XII.

At vero, si paulo diligentius ex anatomicis situm, adhæsiorem intestinorum, quæ mesenterii & mesocoli ope tam firmiter necluntur, situque servantur suo, considerare velimus: perinde nobis erit, quo in latere collocandus & servandus sit æger *m*). Quodsi porro alias perpendamus circumstantias, ut lecti, cui æger incumbit, varium situm, laborantis debilitatem, impotentiam se movendi, tædium & impatientiam, qua omnes male affecti correpti esse solent: quocumque corporis contenti erimus situ, modo possibile, tutum & facile sit injectionis officium. Hoc ut votis nostris exacte respondeat, æger alterutri incumbens lateri, crura ut aliquantum incurvet, necesse est. Deinde, immisâ circumspecte in anum cannula apprime levigata, oleoque aut butyro recenti insulso ante illinita, lintamina aut stupæ ex adverso fistulæ opponantur, ne cannula excidat, aut corpus infusum refluat. His peractis, si æger *dextro* incumbit *lateri* ante clysmatis propulsionem finistrum crus paulo extendat, quo genu finistrum in dextri pedis poplite insinuare ac firmare possit *n*). Si *sinistro*, eadem, inverfa ratione, eodem tamen modo peragenda sunt. Antequam vero clyster ano inniduletur, aër fyringa inclusus, sæpe noxas corpori inducens, perpendiculari siphonis directione, & moderata emboli compressione, ad liquoris contenti profluvium eliminetur. Atque hæc quoque in fumigeris sic dictis clysteribus observanda sunt. In his enim, cum fumus aëre imprægnatus prima vice prodiens, frigore & elasticitate vitare valeat intestina: is ut prius expellatur, quam maxime attentis esse debemus *o*).

§. XIII.

m) de GRAAV I. m. c.

n) HILDANUS Obs. cit.

o) STEGMANNUS pag. 20.



§. XIII.

De Clysmatum quantitate.

Clysmatis autem injiciendi *quantitas* pro varia ætatis ratione, diverso ægrorum statu, Medici intentione, ac qualitate variat. Neonatis & infantibus uncia tres vel quatuor sufficiunt. Adultorum infimus venter libram unam & ultro desiderat. Interdum vero ad dimidium quantitatis restringere, variæ nos cogunt infimi ventris affectiones, ut: graviditas, præsertim in ultimis gestationis mensibus; intestinorum renunque inflammationes ac calculi; flatus excedentes &c. *p*). In *primo* namque casu abdomen volumine fetus mirum in modum distentum, magnam liquoris copiam, absque uteri gravidæ compressione, in se recipere nequit. Immo frequenter, compresso hoc modo ovulo foecundato, & ad plenariam fere maturitatem deducto, clyster vi quasi fetus reciproca absque ulla remora expellitur. In *altero* casu intestina ab excedente liquidi injecti quantitate distenduntur, unde partium vicinarum & subiacentium compressio, dolores, aut præsentium saltim augmentum. Flatus *tandem* intestina distendentes, si clysmata quantitate excedens pro socio acquisierint: ea magis expandendo, atrocissimam dolorum catenam in scenam producent. At etiam Medici intentionem ac fluidi qualitatem clysmatum pondus imminuere, ex lotionibus saltim nutrientibus, & iis, quæ vario scopo e china parantur, patet. Hæ enim in adultis vix uncias sex excedere debent, infantibus vero uncia duæ vel tres sufficiunt *q*).

§. XIV.

De clysmatum calore, aliisque cautelis.

Fluidum, quod infunditur, neque *frigidum* esse oportet neque *calidum*, ne alterutro modo lædat *r*). Calidius vero, quod gravidarum intestina sensu admodum exquisito prædita, illico respuunt, esse potest, si pituita multa intestina gravata sunt, aut flatu anxie distorquentur *s*). Frigidius autem in febris continuis, intermittentium paroxysmo, si opus fuerit, & illis morbis, in quibus

C 2

p) de GRAAV pag. 197.*q*) v. SWIETEN T. II. p. 567.*r*) CELSUS C. c. pag. 186.*s*) de GRAAV pag. 198.



bus refrigerantibus utimur, prodest. Præterea, ut certiozem clysteres exserant effectum, æger quiete in lecto, eo se situ conservet, aut ab adstantibus detineatur, quo collocatus est, spiritumque sub injectione retineat. Respirationis namque effectû diaphragma descendit, infimi ventris viscera comprimit, musculosque abdominales ad motum excitat. Difficiliter inde alvus injicitur, & frequenter infusum ex hac causa sine omni præfîto emolumento protinus, maximo ministri tædio, refluit. Hæc omnia ut eo facilius evitentur: injectio pariter non repentim, sed successive perficienda est. Solus secus propulsi liquoris impetus intestinorum canalem, utpote summe irritabilem, ad motum peristalticum descendentem invitando, omnem nostram eludet operam. At, ut quævis doloris causa: contusio, ad prolapsum intestini dispositio, pluresque aliæ evitentur molestiæ, quæ ab imperita operantis manu sæpe natales suas ducunt: syringa, cujus motum cannula sequitur, firmiter tenenda est, nec enema vacillante motu per intervalla propellendum, sed placide rivuli instar. Hoc enim modo omnes evitabuntur ægrorum quærelæ, omnisque evanescet in applicando difficultas atque timor.

§. XV.

Injectionis retinendæ tempus.

Tempus, per quod fluidum retinendum est, pro varia ejus qualitate, medentis intentione, & statu præsentem variat. Illud, cui vis stimulan, evacuan aut abstergens inest, vix ultra dimidiam horam datum ipsi retinet locum. Anodynum & nutriens longiores necitat, & agere debet moras *t*). Jubente vero indicatione, ut longius detineatur, injectione facta, æger se ad somnum componat, aut quietum in lecto teneat, nec primæ dejectionis cupiditati protinus cedat *u*). Alvus porro manu vel stupa comprimenda, musculusque sphincter constringendus est *w*). Hoc justo diutius subsistens acriori altero, vel glande supposita, revocari potest *x*). Status denique ægroti præfens, ut: intestinorum inflammatio; affectus colici; nephritis; gastritis &c. secundum initium, incrementum,

t) de GRAAV pag. 200.

u) CELSVS l. c. pag. 86.

w) de GRAAV pag. 198.

x) FERNELIVS L. c. c. II. pag. 85.



tum, statum, & decrementum morbi, multifariam clysmatis exferit retentionem. Huic haud diffimiles viarum siccitas, ani paralysis, nimia intestinorum sensilitas &c. producunt effectus.

§. XVI

Locus, ad quem enemata pertingunt.

Locus, ad quem usque in statu naturali pervenire possunt clysteres, nullus alius praeter *valvulam sic dictam* BAUCHINI datur, quae in fine coeci & initio coli intestini, ex duplicata interna villosa formatur; quaeque intestinis crassis ad tenuia omnem praeccludit viam y). Nec sapor, quem nonnunquam aegroti post receptum enema percipiunt, clysmatis ad tenuia intestina & ventriculum transitum ullo modo probare videtur. Et quamvis injecti fluidi naturam exacte repraesentet: tamen rarius hoc phaenomenon, a qualitate potius remedii vehementioris, ventriculum perrepentis, si cum GALENO loqui licet, quam a transitu derivandum est z). In statu a naturali diverso, ubi praedicta valvula cum intestinis proximis a fecibus, flatibus a), clysmatibus imprudenter injectis b) distenta, debilitata, inversa aut disrupta fuerit: clysterem cum vel absque scybalis per superiora ejectum fuisse, fide digni Authores testantur c). Ast morbo soluto, frequenter omnia ad statum pristinum redeunt, functioque naturalis ple-

narie

C 3

- 1) HILDANUS Obs. c.
- 2) GALENUS in Tr. c. pag. 104.
- a) Comment. de reb. in sc. nat. & med. gest. Vol. IX. P. I. pag. 97.
- b) de HAEN R. med. T. II. pag. 86.
- c) HILDANUS Obs. LXX. & BARTHOLINUS Cent. IV. hist. LXVIII. Nec non GALENUS T. VII. L. III. de sympt. caus. C. H. qui sequentem rationem, vomitus stercorei & clysmatum per superiora reiectionis, adducit: εν μεν δη τῷ κατὰ φύσιν ἔχειν, ἢ γαστῆρ ἔλκει μὲν ἀνωθεν εἰς αὐτὴν διὰ τοῦ στομάχου, κάτω δὲ ἐκκρίνει. Παρὰ φύσιν δὲ διατεθεῖσα, καὶ τῶν κάτωθεν τὶ μεταλαμ-

βάνει καὶ γὰρ καὶ κλιστῆς ἐπιπέσει διὰ τῶν ἐν ἐκείνῳ γαστῆρ καὶ κόπρος ἐν τοῖς ἐλασθίσις αἰσίοις ἄριστοι γὰρ ἐχθρὸν αὐτῆν ἐν ταῖς τοιαύταις διαθήσεσι ὑπελαμβάνει, ἀλλὰ διὰ τὸ μόνον ἔσον ἀπὸ τῶν ἐντέρων ἀναδυσθόντων βίαιως ἀνω φέρεται. Κατὰ φύσιν γὰρ ἐστὶ ἐν τοῖς ἐντέροις ἡ περιτολή - - καὶ ταῦτα χεῖμαίνα προαιεῖ τὴν τροφὴν ἄχρη τῷ κάτω πέρατον ἐν διαθήσει δὲ τῶν, ἔταν ἡ περιεσπαστικὴ κίησις ἀρξῆται κάτωθεν, ἢ φρά τῶν περιεσπασμένων ἐν αὐτοῖς ἀνω γίνεσται - - Οὐμασθὸν ἐν ἐκείν, ἢ καὶ κλισματὸς τε, καὶ κόπρος ταῖς ἀνω βίαιως περιτολῆς τῶν ἐντέρων ἐπαναφέρεται ποτε εἰς γαστῆρα παρὰ φύσιν, τῆς ἕως ὁμαίται πρὸς ἐκκρίσιν.



narie restituitur. Hoc facto, natura ipsa illorum refutat sententiam, qui in omni
 fere iliaca passione, prædictam valvulam disruptam aut consumptam esse statuunt.
 Vomitus vero *stercoreo-chronicus* rarior, post diu ejusmodi morbum remanens,
 horum sententiæ pariter non favet: nam præter vitiatam valvulam, aliud adhuc
 in ventre impedimentum, quin delitescens, ut intestinorum obstructionem, com-
 pressionem, incarcerationem, concretionem &c. pro causa habere potest. Exem-
 plum hic memorabile vomitus *stercoreo-chronici* rarioris, causam illustrans, ad-
 ducere liceat. Quum in studia humaniora & philosophica in Hungaria adhuc in-
 cumberem, videre mihi contigit hominem rusticum, proceræ staturæ, ante ro-
 bustum & laboribus aduetum, vomitu *stercoreo-chronico* correptum. Dicitur
 vir annum ætatis tunc agebat quinquagesimum secundum. Ante biennium,
 vindemiarum tempore, gulæ nimis indulgens, plus iusto uvarum ingurgitavit.
 Secundo die diarrhœa correptus est vehementissima, dolorifica, & nates de-
 pascente, quam sequenti die presso sequebatur pede dysenteria. Hæc tandem
 viribus naturæ superata, crisi vero pessima, vomitu nempe *stercoreo*, soluta est
 die septimo. Ab illo tempore cibi, quos magno cum appetitu matutino &
 prandii tempore sumebat, circa quintam vespertinam, qua, ante morbi proge-
 niem, alvum natura exonerabat, per inconsuetas vias graveolentes, ac scybalorum
 indolem referentes, exercebantur. Post aliquot demum septimanas debilis ad-
 modum & emaciatus, periti cujusdam Medici consilio, multos ac diversos sibi
 applicandos curavit clysteres, sed incassum; ultra enim spithamam propelli non
 poterant, nec acriora pessaria quidquam educebant, nec fumus tabaci intesti-
 norum perlustrare poterat tractum. Pluribus præterea aliis remediis, e triplici
 regno petitis, frustra tentatis & adhibitis, intestinorum concretionem suspicans
 Medicus, naturæ totum commisit insanabile opus. Sed omissa præsentis casus
 historia, quæ, si adæquate delineanda esset, paginarum harum limites excederet,
 & a scopo iusto longius abduceret: redibo unde digressus sum.



§. XVII.

De propria chysmatum applicatione.

Propria sic dicta enematum *applicatio*, quæ ut plurimum propter fici-
tatem, constipationem ventris &c. conservandæ vel labefactatæ sanitatis causâ
fufcipitur, easdem fere cautiones, quas §§. XIII-XV. allegavi, exposcit, instru-
mentisque §§. IV-VII. adductis facile perfici potest. Unum quod adhuc de
hac encheresi monendum habeo, utentis situm respicit, qui multum ab illo,
quem §§. XI. & XII. descripsi, differt. Sub hac enim operatione non opus
est, ut eo utentes decumbant, sed sedendo possunt sibi metipsis sine ullo, vel fa-
cili, negotio lotionem infundere. Quod ut facilius contingat, altiusque penetret,
immiffa circumspecte in anum cannula, corpore incurvato aliquantum se-
deant *d)*, humoremque contentum placide ex instrumento propellant. Oborta
tandem dejectionis cupiditate, ubi necesse est, desidant, corpusque receptum
remittant. Aegroti vero debiles, qui nec propria manu alvum injicere, nec
fragulorum fixam deferere possunt sedem, habeant ad manus pelvim a HIL-
DANO descriptam, aut aliam illa commodiorem, ad scybala recipienda.

SECTIO POSTERIOR

DE

ENEMATIBUS IN SPECIE,

§. XVIII.

Chysmata evacuantia.

Cum *chysteres evacuantæ* quam maxime necessarij ac utiles sint, cum ad valetu-
dinem conservandam, tum ad amissam recuperandam, prout frequens con-
docet experientia: non inutile fore puto, si primo de his agam. Confiuntur
vero hi, ut & omnes reliquæ species, ex diversis remediis tam *simplicibus*, quam
compositis præsentî statui accommodatis, & excretioni alvinæ idoneis. *Simpli-*
cissimè

d) HILDANUS l. c. Obs. LXXIX.



cissimi & forsitan primi sunt illi, qui ex aqua marina, communi cum sale, urina vel hydromelle solum, cum vel absque oleo constant *e*); vel vero e solo aceto aqua diluto *f*); quique solvendis & educendis in crassis intestinis hærentibus scybalis apprimè inserviunt. Alii vero magis *compositi* sunt atque ex diversis decoctis, emollientibus, stimulantibus, melle, sale, oleo aliisque remediis præparati *g*). Iisdem ex indicatione addi solet: rhabbarum, folia fennæ, pulpa cassiæ, extractum hieræ picræ, diacolocynthidis, aloë, confectio Chameck & sic porro. Ex his compositum enema feces, pituitam tractum intestinorum obsidentem atque caloris vi inspissatam, purgantibus sæpe non exclusibilem *h*), incidit, extenuat, detergit, secumque rapit. Expultrices præterea corporis vires excitat; humorum intestinalium secretionem auget; ab abundante vel noxio fluido corpus liberat; caput ab innumeris solvit malis; respirationem faciliat; humores a partibus nobilioribus ad ignobiliores revellit ac derivat. Indicantur autem hujus generis clysmata: quoties venter ægre descendit & stomachus imbecillus medicamenta ad subducendum efficaciam non sustinet *i*); quoties æger summe debilis est, alvumque per plures dies obstructam habet; quoties derivationem exposcit indicatio *k*), quam tamen purgantibus attentare, varia obstant; exemplo febrium nonnullarum malignarum inflammatoriarum, comatis, apoplexiæ, aliorumque morborum, in quibus deglutitio locum non habet; quoties suppressas revocare cupimus excretiones alvinas, uterinas &c. Ut vero omnia clysterum indicantia breviter exponam, CELSI utar verbis, qui eorum usum in sequentibus commendat casibus *l*): „Si cadut grave est; si oculi caligant; si morbus majoris intestini est, quod Græci Κῶλον nominant; si in imo ventre aut in coxa dolores sunt; si in stomachum quædam biliosa concurrunt, vel etiam pituita eo se, humorve aliquis aquæ similis confert; si spiritus difficulter redditur; si nihil per se venter excernit; utique, si juxta quæque stercus est & intus remanet; aut si stercoris odorem nihil dejiciens, æger ex
„spiritu

e) GALENUS l. c.

f) Briefe an Aerzte von D. MARCUS HERZ, pag. 8. von den Esigclysieren.

g) CALLISENIUS l. c. §. 143.

h) FERNELIUS L. c. C. III. pag. 84.

i) PAULUS ÆGINETA L. I. c. XLIV. pag. 45.

k) AETIUS T. II. pag. 229.

l) CELSUS c. m. c.

„spiritu suo sentit; aut, si corruptum est, quod excernitur; aut, si prima inedia
„febrem non sustulit; aut, si sanguinem mitti, cum opus sit, vires non patiuntur,
„tempusve ejus rei præterit; aut, si multum ante morbum, aliquis potavit; aut
„si is, qui sepe, vel sponte vel casu purgatus est, subito habet alvum suppressam.
Tempus autem horum clysterum applicationi idoneum in genere erit matutinum
ac vespertinum. Febres continuæ, remissionis tempore, enematum evacuantium
opem desiderant. Intermittentes, sub intervallis lucidis, quo motus naturæ ex-
cedentes sedati, materia cocta & ad excernendum apta reddita est. Speciales &
extraordinarii casus nulla restringi possunt nec debent hora. Sedulo porro caven-
dum est, ne horum abusu intestina debilitentur, alvus magis adstricta reddatur *m*),
dispositio ad hæmorrhoides, prolapsum, paralyfin inducatur corpori, naturalis sti-
mulus pereat, omnemque desidendi cupiditatem natura obliviscatur.

§. XIX.

Clysteres emollientes sive relaxantes, & refrigerantes.

Enematum horum classem illa absolvent corpora fluida, quæ primarum
viarum contenta emolliunt ac resolvunt; acres involvant hamores; intestina lubri-
cant, nimiasque fibrarum stricturas imminuunt. Ad hæc pertinent: lac recens
cum aqua dilutum, vel serum ejusdem; oleum; decocta avenæ, hordei, rad. al-
theæ, fenugræci &c.; juscula carniùm vitulinarum, pullorum, omniaque alia re-
media mucilaginosorum aut gelatinosorum nomine insignita. Quodsi vero his ni-
trum aut acidum aliquod vegetabile adjectum fuerit, magis *refrigerantes* evadent *n*),
quos clysteres quam maxime GALENUS & SYDENHAMUS in febribus con-
tinuis, imprimisque inflammatoriis, commendant. *Emollientium clysmatum usum*
sequen-

m) Clysteres sale imprægnatos non parum
alvum ad fecernendum sollicitare verum est, sed
cum siccitatem post se reliquant, obstipatiorem
eam reddi, ex HIPPOCRATIS pater sententiâ:
ἀλλὰ γὰρ ψευδόμενος πικρὸν εἰς ἀδύνατον τῶν ἀλκυριῶν

*ἑδάτων περὶ δι' ἀνεψίην, καὶ ὅτι νομιστέον διακρίσει
ταῦτα εἶναι. τὰ δὲ ἐναντιώτατα εἰσι πρὸς τὴν διακρίσει
σιν - - - περὶ ἡγείας ἑδάτων. Tom. VI.
pag. 197.*

n) V. SWIFFEN T. II. pag. 158. & 204.



sequentia exposcunt indicantia: feces induratae, alvus sicca; pertinaces intestinorum spasmi, inflammationes, incarcerationes; viscerum vicinorum & subjacentium obstructions, inflammationes, calculi; excretiones suppressae; acre in primis vis haerens, stimulans, diarrhoeam immo saepe dysenteriam lethalem excitans; aliaque hujus generis mala stimulantium clysmatum opem respicientia. *Feces indurate* cum intestinorum *siccitate* conjunctae, fortissimis nonnunquam propelli non patiuntur laxantibus, levi tamen opera enematis moventur & educuntur emollientibus; eo etiam ratio collimat tam Veterum o), quam recentiorum Medicorum, jubentium: ut clysmata emollientia purgantium usum praecedant. *Intestinorum, partiumque vicinarum & subjacentium* spasmi, inflammationes p), incarcerationes, obstructions, calculi &c. quae stimulantibus non modo non fopiantur, sed augmentum capiunt, folis clysmatibus emollientibus genio morbi accommodatis, & eorum blando calore imminuuntur, delentur q) & praecaventur. *Humores acres* intestina irritantes, & diarrhoeas producentes, clysteribus oleosis, mucilaginosi, gelatinosis & pinguibus corrigi, inertes reddi, ac evacuari r), plurima comprobant experimenta in dysenteria optimo cum effectu instituta. *Excretionem urinae uteri &c.* suppressam solis frequenter revocari emollientibus enematis, neminem Medicorum fugit. Abusus vero, praeterquam quod corpus in malam consuetudinem trahatur, intestinorum fibras frangit, effeminat, ac non raro tormina excitat s). In impetu autem febrili temperando, corpus nimis debilitat, anomala inde penitus nascuntur symptomata, novaeque excitantur turbae t), febr-

o) HIPPOCRATES Sect. II. Aph. IX. sequenti modo de hac re verba facit: τὰ σώματα χρῆ, ὅπου ἂν τις βάλῃται καθάρσει, εὐροα ποίειν - - - ἀλλ' εἰς τμήματι' ἢ ἀφορ. ο. - - - τὰ σώματα χρῆ, ὅπου ἂν τις βάλῃται καθάρσει, εὐροα ποίειν, κ' ἢ μὲν ἂν βάλῃται εὐροα ποίειν, σῆσαι τὴν κοιλίην' ἢν δὲ κάτω, ἐγρήνοσ.

p) In intestinorum inflammationibus nocivos esse clysteres stimulantibus vel ex HIPPOCRATIS L. de morb. III. c. XIII. T. VII. colligere possu-

mus, in quo, post usum clysmatis expandentis talia praecipit enemata, quae, ut ejus propriis utar verbis: non debent esse πάντων τῶν Γερμανικῶν, ἀλλὰ τῶν διαλυώτων τὰς κόπρας καὶ τμηόντων.

q) de HAEN Rat. M. T. I. pag. 36.

r) IDEM I. III. c.

s) RAMAZZINI Oper. omn. pag. 750. Genév. 1716.

t) v. SWIETEN T. II. pag. 158.

febrilesque motus caussæ suæ subigendæ, movendæ, & excernendæ, impares redduntur *u*). Iniectionis tempus parum ab illo, quod §. ant. proposui, differt. Atque morborum omnium supra citatorum alia specialia adduci possent exempla, utilitatem clysterum emollientium in dictis casibus, comprobantia: sufficiet tamen unum, quod reliquorum etiam affectuum quodammodo imaginem refert illustratque. Biennium fere præterlapsum est, ex quo femina quædam rustica vitæ sedentariæ dedita, cacochymica, annos quadraginta octo numerans, a Medico quodam, sub cuius auspiciis praxim tunc exercebam medicam, meæ commissa erat curæ. Memorata femina initio morbi, speciem colicæ inflammatoriæ referentis, variis cruciatur torminibus, intestinorum spasmiis, nausea & conatu ad vomendum per aliquot dies. Pulsus erat celer, frequens & quodammodo durus ac fortis, excretio alvina per plures dies nulla, femina anxiosa, summe debilis ac emaciata, partim ob ætatis rationem, partim ob morbi atrociam, quæ eam ab omni cibo abstinere cogebat. Jussu Medici, varios domesticos evacuantes clysteres sibi applicandos curavit, sed absque ullo emolumento; nec enim ullo modo retineri poterant; nec quidquam educebant, doloresque leniendos exacerbabant. Eiusdem consilio, præmissis aliis tam internis quam externis remediis, iussi ut clysteribus emollientibus, velut ex decocto hordei, avenæ, lacte &c. alvum injiciendam curaret. Hoc facto dolores repente mitigabantur colici; alvus solvebatur, putridamque emittebat materiam, & partes superiores a congestionibus quodammodo liberabantur. Die tandem nono, de tumore quodam regionis inguinalis dextræ, bubonis formam referente, conquerebatur, quem me incerto domesticis remediis discutere tentaverat. Sed jam in suppurationem tendens, cataplasmatibus emollientibus sponte aperiebatur tumor inflammatorius. Undecimo die sub usu continuato *clysmatum emollientium* symptomata mirum in modum mitigantium, vomitus subsequerebatur naturalis, per quem decem lumbrici excernebantur. Eodem die novem alii e *hernia suppuratoria* partim sponte cum pure, partim chirurgi manu e vulnere, quod per longum tempus consolidari non poterat, una cum assumtis, educebantur. Hæc hæctenus.

Clysteres roborantes.

Clysteres roborantes & carminativi vocantur illi, qui vi sua propria intestinis amissum robur restituere, flatus discutere, nimiasque se- & excretiones alvinae sistere & promovere valent. Pro diversitate autem causarum, status morbi, & ægroti conditione, ex variis componuntur balsamicis, aromaticis, & specificis, causæ morbi contrariis: ut ex origano, ruta, salvia, lavendula, chame-melo, melissa, semine anisi, carvi, cumini, feniculi, cortice chinæ, spirituosus & id genus aliis. Huc etiam pertinet: aëris fixi in forma clysmatum usus, quem, quamvis plurimi contemnunt, recentiorum tamen edoctus observationibus, quam maxime in ejusmodi morbis commendarem, in quibus universalis quædam adest corporis debilitas, humorum corruptio, diarrhœe bilioso-putridæ *) balsamicis, aromaticis & martialibus haud facile delenda. Laudabiles horum clysmatum effectus plurima comprobant paralyticorum exempla, solis clysteribus ex aëre fixo paratis, restitutorum. Nec desunt feminae ante chloreticæ, frequentibus convulsivis motibus vexatæ, emanatione aut suppressione mensium per plures annos detentæ, nunc his enematibus ab omnibus liberatæ malis, fluxumque menstruum periodice habentes. Plures alii profitant casus aëris fixi vim roborantem & antisepticam in morbis putridis, diarrhœis ejusdem generis, approbantes x); quos hic referre superfluum nimis foret, cum tyronibus etiam noti sint. Ex allatis igitur clare elucescit, indicari clysteres hos: a paralyti universali vel partiali, debilitate; secretionibus excedentibus aut deficientibus, emanatione aut suppressis; dispositione ad putredinem; diarrhœis colliquativis & sic porro. Iniectionis tempus idoneum est illud, quo venter a scybalorum colluvie liber deprehenditur; iis vero præsentibus evacuante clysmate alvus prius solvenda est.

§. XXI.

*) PRISTLEY *Versuche und Beobachtung. über verschied. Gest. der Luft*, 1 Th. Seite 286 f. f. Leipzig, 1778.

x) Vid. PRISTLEY *T. C. pag. 300. & T. II.*

p. 394. ubi aliquot notata sunt exempla diarrhœarum putridarum, quæ his brevi sedatæ sunt clysteribus, cum maximo morbi levamine.



§. XXI.

Clysteres adstringentes.

Enemata nomine *adstringentium* insignita, audiunt remedia liquida vel dura, in substantiam fluidam redacta & ano ingerenda, quæ *vi actuali* vel *potentiali* polent, crassa intestina, præprimis rectum & colon partesque vicinas ad fortiorem contractionem stimulandi, efferasque se- & excretiones sufflammandi, aut imminentes impediendi. Ad *actualia* adstringentia sola pertinet frigida aqua, quam recentiorum Medicorum multi in emanatione aut suppressione mensum, a vasorum uterinorum nimia laxitate orta; in malo hypochondriaco & hysterico; hæmorrhoidibus efferis tam cruentis quam mucosis, & diarrhoeis a sola laxitate natis, commendant. Cautus autem semper frigidorum clysmatum esse debet usus in dictis morbis. Innumeri namque prostant tristissimi casus docentes, ex frigidarum injectionum præpostero usu morbos graviores redditos mortemque aliquando subsecutam fuisse y). Ita memini ILLUSTR. Consiliarium ac Professore[m] BOEHMERUM, Præceptorem ad cineres devenerandum, id in collegio suo *Clinico-examinatorio*, cui per biennium & ultra interesse mihi licuit, optime admonuisse, & exemplo hypochondriaci cujusdam luculenter comprobasse, cui ex præcepto Medici alterius clyster e frigida iterata vice applicatus erat, quique ægrum in statum priore deteriorem coniecit, ex quo tandem aliis magis congruis remediis a se præscriptis feliciter evasit. Ad *potentialia* adstringentia referuntur: radicis bistortæ, tormentillæ, florum balaustriorum decocta & aliæ herbæ, & radices, adstringentium classem absolventes. Nec non aqua fabrorum z), vina rubra ac austera, alumen, vitriolum, lapis hæmatites &c. in aqua soluta. Ex his præparatis clysteribus omnia abesse debent mucilaginosâ, gelatinosâ, oleosâ & pinguis, quæ vires adstringentes refringunt, indicationi non respondent, morbumque si non insanabilem, difficiliorem tamen curatu reddunt. Adstringentium clysmatum usum exposcunt: sphincteris ac intestinorum paralyfis; procidentia

D 3

y) Aq. nat. cur. Dec. II. an. V. pag. 53.

ITEM TH. BARTHOLINUS Cent. I. Obs. LXXVI.

z) FERNELIUS l. c. C. 15. pag. 209.



tia sive prolapsus; urinæ incontinentia; diarrhœe excedentes chronicæ, absque causâ aliqua materiali præsentē; hæmorrhoides ac hæmorrhagiæ ani esseræ; gonorrhœa benigna &c. Dictos modo affectus internis adstringentibus sæpe difficillime, vel plane curari non posse, cuique notum est; externis vero facilius superari, nemo ibit inficias. Injectionis tempus cum illo, quod §. ant. proposui, convenit.

§. XXII.

Clysteres expandentes.

Clysterum expandentium sive *fumigerorum* nomine veniunt illi, qui e fumo herbæ nicotianæ a) conflati sunt. Optime quidem uno ex instrumentis §§. VIII-X. descriptis ad intestina deferuntur; attamen in eorum defectu simplici uti possimus fistula fumatoria, vel vero vesica fumo prædicto ante repleta, & cannula munita. Modum autem fumo tabaci ad clysteres utendi docuerunt Germanos Angli, qui eum ab Americanis acceperunt b). Ut vero horum effectus & utilitas eo magis illucescat, necesse esse puto, ut brevem præmittam partium constitutarum enumerationem. Herba sancta, caloris vim in retorta experta, aquam prius dimittit, postea oleum empyreumaticum, & tandem sal aliquod alcali volatile, parum a cornu cervi differens c). Sed cum easdem mutationes dictæ herbæ, sub quacunque combustionē subeant: requiritur, ut eadem educantur & producantur elementa sub applicatione etiam clysterum. Dictæ vero fumi partes constitutivæ, præprimis oleum & sal, vi sua potenciali intestina partesque vicinas irritant, stimulant, respectively roborant, humores spissos resolvunt, calefaciunt & ob indolem herbæ narcoticam dolores sedant. Acres præterea resorbentes humores, deficientem diapnoem & diuresim restituere, præsentem augere valent d).

Aër

a) Varii Auctores varias herbas ad hos clysteres seligunt. Nonnullis, communis & infimæ sortis herba nicotiana placet, quam Germani Landtoback nominant. Aliis vero, ut HEISTERO, SCHEFFERO & HAEN præstantioris indolis Snafer dicta. Cum vero fumi effectus a sale &

oleo dependeat: palam est, illam herbam huic usui apprimè inservire, quæ has partes majori copia in sinu suo fovet.

b) Comment. c. Vol. VII, P. IV, pag. 63.

c) SCHEFFER Tr. c. §. XI.

d) IDEM §. XII, pag. 23. 24.

Aër ad intestina delatus more omnium calidorum corporum eadem expandit, demulcet & a spasnis liberat. Fumigerorum clysterum opem exposcunt: colica biliosa, pituitosa, saturnina, flatulenta, verminosa, hæmorrhoidalis, nephritica, hypochondriaca, hysterica, arthritica, herniosa, volvulus, ileus morbus, vomitus excedentes, excretiones alvinæ suppressæ, pertinaces intestinorum spasmi, omnesque alii colici affectus e). *Colica biliosa, pituitosa & saturnina* curatio absorbentium, antacidorum, resolventium, anodynorum, demulcentium, & evacuantium usum exposcunt. Hæ omnes indicationes solis clysteribus e fumo constantibus, ad actum deduci possunt. Sal enim noxios humores corrigit, spissam pituitam resolvit; oleum stimulat, lubricat, dolores sedat & mutatam educit morbi causam. *Colica flatulenta*, longas sæpe nectens moras, resolventia, sedantia & flatu expellentia remedia exposcit, quæ uno indicato absolvi possunt, si paulo attentius morbi causas clysterumque horum vim & effectus perpendere velimus. *In colica verminosa* vi anthelmintica, qua pollent, eosdem enecant, spissam pituitam nidus infectis præbentem resolvunt, una cum vermibus evacuant, excedentes ac noxios motus inde ortos sedant. *Colicas hæmorrhoidales, nephriticas, hypochondriacas, hystericas & arthriticas passiones* ab intestinorum debilitate, spasio, consensu partium, materia acri, valorum mesaraicorum & hæmorrhoidalium stagnatione & stasi ortas, non modo curare, sed etiam sanare posse, ex superioribus patet. *Herniam incarceratam, introsuptionem, iliacam passionem, vomitus excedentes, excretiones suppressas*, morbosque alios rebelles clysteribus fumigeris superari posse, quotidiana docet experientia. Nec desunt Practici, qui in his affectibus f), & aliis colicis doloribus, tanquam ad sacram ancoram, ad hoc auxilium confugiunt, quod impedimenta solvit, vias obstructas referat, excedentes sopit motus, deficientes excitat, enormes ad statum pristinum revocat. Utius autem horum enematum in dictis morbis promiscuus nunquam esse debet, sed circumspectus & cautus, in- & externis aliis remediis junctis. Plura namque adesse & suboriri possunt symptomata clysterum e fumo paratorum usum absolute vel hypothetice respicientia, ut: nimia sensibilitas, plethora excedens; summi gradus

e) IDEM §§. XIV - XXX.

f) de, HAEN R. M. T. I. pag. 151.



gradus intestinorum inflammatio; eorum siccitas; fluxus excedentes; scybala indurata; materia metastatica g) &c. Quorum nonnulla medelam hanc respiciunt, alia ad tempus excludunt, alia aliorum remediorum simul usum exposcunt. Dari autem & aliam clysmatis expandentis speciem antiquis familiarem, nempe *veniosam h)*, probe quidem novi; sed cum nostris temporibus ea merito negligatur, inventa specie descripta, ego ipse silentio præteribo. Injectionis tempus, quod exacte determinari non potest, status ægri, & urgentium symptomatum necessitas determinant.

§. XXIII.

Clysteres sedantes sive anodyni.

Clysmata sedentia sunt tales lotiones, quæ dolores intestinorum mitigare & spasmos compescere valent. Materiam huic scopo idoneam omnia suppeditant mucilaginosâ, gelatinosâ, oleosâ, pinguiâ & sopientia. *Ex mucilaginosâ* suas merentur laudes: radix altheæ, liliû, foenugræci, semen lini & cydoniorum, flores chamomillæ & melliloti in aqua vel lacte decocta & cum butyro recenti infusio & vitello ovorum mixta i). *E gelatinosâ*: lac recens, juscula carniû, & decocta glutine animali imprægnata, eminent. *Oleosâ* absolvunt: olea expressa simplicia, & sic dicta cocta, & infusa specifica, quorum ingens numerus in dispensatoriis prostat. *Pinguiâ*, huic indicationi apta, nulla alia dantur, quam axungia & seba in formam fluidam redacta. Ad *sopientia* pertinent, præter fimum tabaci, opium, & ejus præparata, ut: laudanum liquidum, electuarium diascordium &c. assa foetida, castoreum, moschus, crocus & alia, quæ narcoticorum more dolores a debilitate, irritabilitate & sensilitate aucta, obstructione &c. ortos sedant. Scopo anodyno præparati clysteres, pro morbi causa mirum in modum differunt. Dolores namque colici & tormina ventris a materia peccante aut intestinorum

siccita-

g) SCHÆFFER §. XXXI.

h) Sipientem verustatem expandentibus enematis, ex solo aëre ope follis, in variis infimi ventris affectibus, usam fuisse, ex HIPPOCRATIS L. de morb. III. c. XIII. T. VII. patet. Præcipit

enim in volvulo: φύσαν χαλκνευτικὴν εἰκόνας καὶ φασάν ἐς τὴν κοιλίην, ἵνα διασῆσται τὴν τε κοιλίην καὶ τὴν τοῦ ἐστέρας ζύστασι· εἶτα πάλιν ἐξέλων τὴν φύσαν, κλέσσει. κτ.

i) FERNELIUS T. c. L. IV. c. XIII. pag. 158.

ficcitate provenientes talia sopientia enemata exposcunt, quæ ex mucilaginosi, gelatinosis, oleosis & pinguibus enata sunt, quæque vias lubricare, noxios involvere humores & causam spasmi auferre valent. Colicorum vero dolorum formalis causa, symptomatum origo, statusque ægri urgens, sopientium injectionum *in specie* auxilium flagitant. Et quando materialis causa pariter subest, viscida cum narcoticis maritata desiderantur clysmata. Indicantur enemata sopientia: a doloribus colicis vehementioribus; convulsionibus; malo hypochondriaco & hysterico; hæmorrhoidibus & fluxu menstruo emanatis aut suppressis. *Affectus colicos & convulsiones* hisce mitigari plurima comprobant exempla, ab infantum difficili dentitione laborantium desumpta. *Malum hypochondriacum & hystericum* leniri his posse, e causa morborum diversa & clysmatum vario agendi modo patet. *Passiones* denique alias, a hæmorrhoidum & mensium suppressione ortas, clysteribus assa foetida, aut opio imprægnatis, sedatas, hæmorrhagias salutares restitutas fuisse, non dubitant Anglorum Practici. Quodsi autem heroica alia remedia exercitatissimum limatumque medentis iudicium exposcunt: tum quam maxime hoc de clysteribus sopientibus valebit. Etenim his incongruo tempore exhibitis medentis culpa morbi sanabiles insanabiles evadent, aut æger citius tardiusve vitam cum morte mutabit. Tempus, quo alius his irriganda est, dictorum affectuum paroxysmi indicant.

§. XXIV.

Clysteres excitantes.

Clyster excitans sive *stimulans* est illa enematum species, quæ torporem corporis tollere, excretiones suppressas revocare, vel motus vitales deficientes excitare ac restituere valent *k*). Confiuntur injectiones hæ, vel ex sola aqua magna salis communis copia imprægnata; vel vero ex enematibus emollientibus, absque oleosis & pinguibus, salibus mediis, radice ipecacuanhæ, squilla, herba nicotiana, sapone, tartaro emetico, extractis amaris & acris acuatis; vel denique e fumo tabaci, simplicissimo alias remedio & huic scopo quam maxime

E

k) GAUBIUS C. c. pag. 45.



xime idoneo. Indicantur hujus generis enemata ab affectibus soporosis; excretionibus alvinis & uterinis suppressis; affectibus herniosis & miserere mei; viribus expultricibus deficientibus; pulsus intermissione; motus sensusque vitalis privatione. *Affectus soporosos*, qui ut plurimum humorum ad caput raptum, aut primarum viarum vitia pro causa agnoscant, clysteribus his sopiri, humores derivari, caput ab abundante fluido liberari, colluviem evacuari, uno ore Medicorum principes testantur. *Excretiones alvinas & uterinas suppressas* rebelles, his revocari posse injectionibus, e causa morborum diversa, & eorum effectu patet. *Affectus herniosos, miserere mei*, aliis remediis incassum adhibitis, solum his enematis sedatos, curatos & sanatos fuisse, quotidiana docet experientia. *Deficientes corporis vires expultrices* revocari, restitui ac augeri posse, puerperarum comprobant exempla. In his namque abolutos ad partum dolores 1) lochia suppressa, placenta retentionem, clysteribus stimulantibus vel in specie fumigeris m), excitari, revocari ac excludi posse, nemo dubitabit. Et quem latet horum clysmatum efficacia in *pulsus intermissione, sensus motusque vitalis privatione* n)? Nonne vi sua stimulantem partes irritabunt, circulationem promovebunt, & vitam prolongabunt? Comprobant sane hoc strangulati, aura lethifera suffocati, & aquis submersi, his enematis e faucibus mortis saepe erepti o). In gravidis cautus semper debet esse horum usus; abortum enim facile procreare possunt, teste SWIETENIO p). Iniectioni quodlibet tempus favet.

§. XXV.

Clysmata anthelmintica.

Lavamenta anthelmintica salutantur illa, quae vermium colluviem intestinis haerentem enecare & educere, aut expellere solum valent. *Posteriori* intentioni aptum enema III. VOGELIUS asserit esse decoctum chamaemeli sale acuatum. V. ROSENSTEIN q) enemata e lacte cum sale, alii decoctum tanacetii cum

1) V. SWIETEN T. IV. pag. 562.

m) SCHAEFFER §. XXVIII.

n) GAUBIUS C. c. pag. 46. seqq.

o) IDEM l. m. c. pag. 48.

p) Comment. c. T. IV. pag. 500.

q) Vid. ejus Libr. Anweisung und Cur der Kinderkrankh. pag. 488. Gœtt. 1774.

cum aliquot granis aloës, aut aquam cichorii cum melle, vel granis quindecim vitrioli martis commendant r). *Priori* scopo aqua mercurialis cum melle imprægnata infervit r); nec non lac per coctionem alio sativo saturatum, cujus vires anthelminticas magnis laudibus DIOSCORIDES extulit. Optima autem *proprie sic dicta* anthelmintica sunt: olea pinguia & herbæ divinæ fumus in forma enematum. *Illa* visciditate sua, animalculorum poros obstruendo, eos enecant, per experientiam. *Hæc* non solum altius penetrant & molestos hospites vita privant, verum nidus etiam eorum destrunt, enectos educunt & ulteriorem eorum progeniem quodammodo impediunt. Quapropter si hæc animalcula in recto hæreant vel non procul ab eo distent, commode expellentibus supra propofitis & oleosis uti poterimus enematibus. Quodsi vero altius sedem suam fixam habeant; vel pituita tenax eos defendens, vel tænia aliæque species præsto sint: e re esse puto, si fumigeris lavamentis e mente ROSENSTEINII eos debellemus. Hoc enim remedium verum & certissimum specificum esse anthelminticum opinatur: *am zuverlässigsten, inquit, ist doch der Toback in den After einblasen zu lassen d)*. Reliqua vero anthelmintica jam dudum laudata: semen cinæ, radix filicis aliæque amara, in forma enematum adhibita, nostro scopo non favent; quippe quæ vermes ad superiora propellunt, mala præsentia augent, deficientia aut sedata excitant. Injectionis tempus est matutinum, præprimis post subsecutam alvi solutionem.

§. XXVI.

Clysteres nutritives.

Prout alia remedia ab effectu, quem in corpore humano exerunt, diversa sortiuntur nomina, ita & *clysteres nutritives*, qui apte definiiri possunt per ejusmodi clysmata, quæ materiam nutritioni idoneam secum vehunt. Confi-ciuntur injectiones hæc ex talibus liquidis, quæ nulla fere vasorum chylopoëti-corum actione indigent, sed jam peractam in se continent materiam, unde cor-

E 2

r) BOERHAAVE de cogn. & cur. morb. Aph. §. 1373. in mat. med.

d) v. Rosenstein Seite 489.

e) IDEM pag. 490.



pus nutrirī possit, ut: ex decoctis carniū, mucilaginosīs, gelatinosis & lacte, quibus aliquot vitelli ovorum, vel parum vini addi potest. Ex mente vero CELSI, qui nutrientiam clysmatum inventor esse videtur, solus pīsanāe vel alicūe creīnor sufficit 1). Morbi, qui nutrientium enematum usam exposcent, sequentes sunt: trīsinus chronicus; inflammatio fancium & cesophagi; ductus cibarii paralysis, impotentia deglutiendi a causā aliqua mechanica 2) ut: scirrho in cesophago vel cardia suborto &c.; phthysis; ciborum averatio, & deglutitionis impotentia, absque vitio aliquo mechanico. 3) Verum clysteres hi in prādictis morbis palliativam, ut plurimum, absolvent curationem. Et quamvis innumera in crassis intestinis adsunt vasa lymphatica, corpus tamen ita nutrire non possunt, quin decrementum aliquod respectu voluminis vel virium capiat. Possibilitatem hujusmodi nutritionis, quam nonnulli negant 4), & utilitatem, exempla a RAMAZZINO 5) & HILDANO 6) descripta, comprobant. Ille historiam nobis reliquit virginis monialis, quam per sexaginta sex dies clysteribus nutrientibus sustentavit, redeunte tandem loquendi & deglutiendi potentia. Hic memorabilem aliam casum memoriāe tradidit, quem ipsius Authoris verbis citabo: Mobilis quaedam ac pia matrona, corpore non usque adeo robusto, cum utero gestaret febre corripitur, ex qua cum restituta esset, ab omni cibo ac potu ita abhorruit, ut spatio sex hebdomadam nihil fere per os assumere posset. Quapropter singulis diebus bis jusculum carnis castratorum caponum, gallinarum, ac similibus, in quibus vitelli ovorum solati erant, injiciebantur, quorum beneficio ita fuit nutrita, ut foetum ad constitutum usque tempus gestarit, feliciterque pepererit, qui & salvus supervixit. — Sed ut injecta nutrientia ab omni praecaveantur inquinatio, diu retineri ac optatum edere possint effectum, non abs re erit, ut clysmate purgante intestina prius eluan-

1) CELSUS L. III. c. XIX. p. m. 158.

2) GALENUS T. VII. L. de Symp. caus. III. c. II. eleganter de hoc vitii genere differit: *συμψάνη δ' ἐνδοτε καὶ βλασφηματὰ τὴ σαρκώδες κατὰ τὸν σίμαρον, εἰα καὶ τὸς ἐξῆται ποδῶναις φαινόμενα, ὡς ἦτοι παντάσῃσιν ἀποφράξῃ τὴν ὁδὸν τῶν σιτίων, ἢ*

συσφραξίῃ κατὰ τὴν κελύτραι δ' ἐγγυμνὰ τὰ τοιαῦτα βροχηματὰ κτ.

3) de GRAAV pag. 191-197.

4) Vid. EJVUS Oper. omn. pag. 174.

5) EJVUS Oper. Cent. IV. Obs. XXX.

eluantur, & tandem octava quavis hora a) nutriens enema, statui aegri idoneum, injiciatur.

§. XXVII.

Clysteres medicamenta ori haud ingerenda vehentes.

Quoniam enemata, quæ diversarum virium medicamenta, ore, vel ob præclusas vias & impotentiam, vel ob aversationem haud assumenda, secum vehunt, *partim* ad cathartica, temperantia, roborantia, nutrientia; *partim* ad alias clysmatum species apprime referri possunt: brevis in iis enarrandis ero. Præclusæ viæ & impotentia, ut: angina vera, tractus intestinorum vitia varia, herniæ, corporis debilitas, partialis vel totalis paralysis &c. temperantium, nutrientium, stimulantium, sopientium, roborantium &c. clysmatum usum exposcunt; de quibus sat prolixè actum fuit. Sed quis ignorat aversationem, quæ in infantibus ut plurimum locum habet, nos sæpe cogere, ut medicamenta deglutienda alia via corpori inferamus & quidem eodem cum successu? Nonne purgantia quadruplici dosi sumta, ano, conveniente vehiculo, injecta, & diu retenta, simili modo agunt, ac si simplex dosis ore assumta esset b)? Nonne profant exempla febrium intermittentium, aliorumque morborum clysteribus decocto chinæ paratis curatorum c)? Nonne atrocia sopita sunt symptomata a difficili dentitione & viarum saburra orta, clysteribus, medicamentis ore assumendis imprægnatis? Plura alia e fide dignis Authoribus adducere possem exempla, nisi ea e superioribus pronò fluerent alveo, Libellique hujus limites & temporis brevitatis me cogent, ut finem huic Tractationi imponam. Equidem probe scio haud pauca a me esse omiſſa, multa etiam cursim ac obiter tantum tractata. Quæ si minus Viris eruditis placeant, memores sint rogo triti illius dicti: *autumnus quæ dat, non verè producit & æstas.*

TANTUM.

a) BOERHAAVE Lib. c. in mat. med. ad

b) V. SWIETEN T. II. pag. 397.

c) IDEM T. c. pag. 567.



VIRO
 CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
 JOANNI MANIKATI SAPHRANI,
 FAUTORI ET AMICO SUO IN PRIMIS COLENDO
 SUMMOS IN MEDICINA HONORES
 GRATULATUR
 MARTINUS LITSKEN
 THEOL. CAND.

Supervacaneum fortassis molior laborem, Amice & Contubernalis suavissime, dum publicam hanc ad TE scribere epistolam adgredior; quod alii quidem vel, ut alia multa, ex more solummodo faciunt, vel ut eis, quos honoris gratia litteris compellant, amorem suumque studium testentur. At nihil horum est, quod isthoc officii genus mihi imponat; tum quia in amicitia nihil ex more agendum censeo, tum quia animum meum aliunde jam cognitum TIBI esse spero. Etenim lustrum est, ex quo, in Alma hac Fridericiana, arctissimo contubernii & familiaritatis vinculo jungimur; nec dissimulare possum, ejus temporis recordationem, omnium quae mihi prospere evenerunt, aut adhuc expectanda sunt, longe jucundissimam & mecum tantum interituram esse. De amicitia autem nostra quid multa commemorem? si morum similitudinem specto, nihil sane ea convenientius; si amorem intentum, mutuaque officia, nihil ea firmiter nihilque arbitror esse integrius. Quod Atticus de se praedicat: nunquam cum matre se in gratiam rediisse, vel cum sorore fuisse in simultate, hoc de nobis imprimis valere gaudeo, & cum insigni voluptatis sensu vere glorior. Quae studiorum & voluntatum inter nos consensus, tanto mihi magis laudanda videtur, quanto ejus rariora exempla prostant; cum, ut ait Socrates, nihil vulgaris sit nomine amici; vera autem amicitia nihil rarius nihilque insolentius.

De

De hac igitur, qua Tecum, Amice Integerrime, vivere mihi contigit, familiaritate, non possum non publice lætari, TIBIque pro innumeris benevolentiae Tuæ testimoniis, grates persolvere debitas & prolixissimas. Etenim plurimè me TIBI devinxisti nominibus, & quod amici est, non solum fecisti, sed etiam libenter, prolixè cumulateque fecisti; adeo, ut pro compensandis tot. officiis, præter voluntatem intensissimam, nihil mihi relictum esse intelligam. Accipe paucas, quæso, lineolas ea humanitate, quæ TIBI connata est; volo namque eas apud TE obsidem esse ejus, quam tam sanctè coluimus, amicitiae, & palam profiteri, quantum nostra apud me semper valitura est animorum conjunctio. Sed ad vota nunc hujus diei solemnitas invitat. Nec jam prolixus ero in exprimenda illa voluptate, qua animus hodierna luce perfunditur, dum TE, Amice Optime, firmis in Medicina honoribus ornari video. Sane nil mihi accidere potuisset optatius, quam lætum hunc diem adspicere, qui diligentiae TUÆ & pertinaci studio, quo per quinque hos annos in scientia salutari versatus es, coronam imponit, multo sudore & ingenti acquisitam conamine. Fruere diu gloria tanto labore parta, & quam TIBI doctrinæ insignem copiam parasti, ita colloca ut Patriæ decus lumenque evadas Medicorum. Vive felix & in nestoreos annos, TUUMque amorem mihi pretiosissimum ita conserva, ut sicubi ejus demonstrandi locus fuerit, animo haud elabatur amicitiae cultæ jucundissima recordatio. Vale iterum iterumque. Sic precor, ita exopto, sic voveo! Dabam Halæ Saxonum. Die XI. Aug. Anno MDCCCLXXXI.



Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle

3

002 169 606



sb



DE
CLYSTERIBVS
EORVMQVE EFFECTIBVS,

778
C O N S E N S V

INCLYTI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRO GRADV DOCTORI

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

SOLEMNITER IMPETRANDIS

A. D. XI. AVG. MDCCCLXXXI.

N. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

JOANNES MANIKATI SAPHRANI

CIBINIENSIS.

HALAE SAXONVM

STANNO ORPHANOTROPHEL

